



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Parallelia Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. Quantitas Ditionis Venetæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

Regionis vrbibus vices an. 1262, Philippo Turriano paruit, variòsque vrbis experta dominos etiam vendita est Pandulfo Malatesta 30. aur. mil. erepta est eidem à Philippo Maria Duce Med. 1419. à quo post nouem annos defecit ad Venetos, & post cladem Ripalatinam eisdem erepta, postea restituta est eisdem 1516.

CREMENSIS AGER: le Crema sique, ditio fuit Ducis Mediolanensis ad annum 1405. quando vrbem Cremam Benzonus tyranus occupauit, cui erepta est à Philippo Maria Mediolanensi 1419. à quo defecit cum aliis vrbibus ad Venetos an. 1428. post Ripalatinam cladem male à Francis accepta, sed redditia Venetis egregie exulta est.

POLESINVVS RODIGIVS: le Polesin de Ronigo, pars Romandiolæ, & Ducatus Ferrarensis occupatus est à Venetis sub Hercule I. Duce Ferrariæ circa annum 1500. qui ex fœdere hunc eis agrum relinquere coactus est. Post Ripalatinam cladem sub Lud. XII. Alfonsum Dux hanc partem ditionis suæ recuperauit, sed paulò post Veneti hunc sibi tractum in perpetuum vindicarunt.

N V M. 3. Quantitas Ditionis Venetæ.

LONGITVDO eius maxima procedit ab Addua Fl. paulò postquam exiit ex Latio lacu, le lac de Come, circa Olginam in Ducatu Mediolanensi, ad Flumen vrbem Croatiæ & Fluuium, Istriæ limitem: quæ distantia admota maiori circulo dat circiter 240. milia pass. leucas Nostrates 120. Germanicas 60.

LATITVDO verò procurrit ab oppido Policellà in Polesino Rodigino ad fontes Fl. Anaxi, seu Piane, quæ cùm duorum sit graduum ferè, dat quoque longitudinis partem dimidiā 120. mil. passuum, 60. Francicas leucas, Germanicas 30.

N V M. 4. Qualitas Venetæ Ditionis.

DVCATVS: le Dogado, aëris est saluberrimi licet in paludibus, ob ventos Orientales qui ferè semper isthic regnant. Aquâ caret & vtitur tantum importatâ, si vnicum puteum S. Nicolai Ripensis excipias, qui copiosissimas aquas sufficit, etiam totis classibus. Caret frumento, sed piscibus abundat, & eorum copiâ propè ad miraculum.

Parall. Geogr. Tom. II.

A A a a a